



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas
Gregorii IX. P. M.**

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XXXIX. De Syndico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

quia peccavit se iis sociando contra Canones. Constituit & Procurator procuratorem, si speciale ad hoc mandatum habeat, aut in rem suam datus sit, *c. 1. §. 1. eod. in 6.* & post literam contentatam: fit enim litis dominus per contestationem, *d. c. 1. §. 1. s. §. 12. Cod. eod.*

5 Procurator constituitur quilibet non impeditus. Jure civili majorem xvii. annis admitti volunt. *per §. eadem lege Instit. Quib. ex causis, manumir. non licet, ubi Cujac. & dictum D. h. r. num. 11.* Jure Canonico expressum est, non nisi xxv. annis majorem admitti, *e. §. in fine eod. in 6.* ut securius aliena tractentur negotia. Constituitur non tantum paterfamilias, sed & filius, etiam patre inficio, *l. tam ex contractibus D. Judic.* Infamis etiam si postulando rejiciatur, non tamen à procurando, quod munus hoc non tam sit honorificum, quam vile. Constituitur sive unus, sive plures qui si simul sint constituti, non potest alter sine altero admitti nisi in solidum singuli sint constituti *c. Si duo 6. eod. in 6.*

6 Admittitur procurator in omnibus causis etiam matrimonialibus, & quidem ad matrimonium contrahendum, *c. fin. eod. in 6.* non tamen nisi ex speciali mandato. Exceptis criminalibus, si criminaliter intententur, *c. s. h. r. & dictum D. eod. num. 3. & seqq.*

7 Non alias aut. m. admittitur in judiciis, nisi mandatum legitime factum ostenderit. Exceptis conjunctis personis, in quibus mandatum non desideratur: quales videntur esse in linea recta omnes in inficitum, secundum text. in *l. sed & ha. 35. D. eod.* in transverla vero qui quartum gradum non excedunt, secundum aliquos; cum tamen in *d. l. 35.* tantum fiat mentio fratrum & affinium. Ut verius sit, non intelligi alios, quam qui parentum, fratrum, filiorum locum obtinent. Innoc. *& eum secutus Abbas in c. Nonnulli 28. §. sunt & alii h. r.* Si de mandato dubitetur, satisfactione de rato operatur procurator, *l. 1. Cod. h. r.* Procurator rei indistincte compellitur cavere de judicio, nisi ipse teus caverit, quare *d. h. r. l. 1.* latus.

8 Effectus mandati procuratoris est, quod factum procuratoris domino noceat & profit, quatenus servati sunt fines præscripti: nam gerens ea, quæ speciale mandatum requirunt, non potest petere ea rata haberi, *c. 4. eod. in*

6. uti nec agens post revocationem sibi denuntiata. *c. 3. & 4. h. r.* Quæ revocatio procedit, etiam si quis juraverit non revocare procuratorem, secundum *Glof. receptam in c. fin. eod. in 4.* Est & ille effectus, quod procuratori expensæ sint refundendæ, quas nomine causæ committæ utiliter fecerit, *c. 6. hoc tit.* Cætera videantur *D. hoc tit.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIUM.

1. Syndicus quis, & in quo à procuratore differat.
2. Syndicus constituitur in monasteriis etiam extraneus potest.

Syndici sunt actores universitatum, collegiorum, societatum, corporum, per quos quod communiter fieri, agere oportet, agitur, fit, *c. 1. D. Quod cuiusque univers. nom. & c.* quo nomine veniunt & defensores Civitatum. *l. fin. §. defensores D. De munerib.* Differt à procuratore Syndicus, quod ille constituitur à privatis, hic vero à Republ. aut corpore: uti & in eo, quod ad Syndicum constituendum possit cogi Resp. aut corpus, *d. l. 1. §. quibus,* non etiam privatus ad dandum procuratorem, *c. 2. sup. tit. prox.* Sit de collegio, à quo constituitur, an extraneus non refert. * In Monasteriis potius extraneus est accipiendus, quam Religiosus, quem à fori strepitu abstinere, & à divinis non avocari est convenientius, *c. 1. h. r.* De rato cavere non tenetur, modo constat de decreto, *l. 6. in fine D. Quod cuiusque univers.* Acta ejus à collegio probanda, nisi gesta sint post revocationem, ad instar procuratoris.

TITULUS XL.

De his, quæ vi metusve causa fiunt

SUMMARIUM.

1. Restitutio ad quid necessaria.
2. Per vim aut metum gesta quatenus non excludant consensum.